





J. M.
CERVELLO
GRANDE

Exhibit



Cero / 1206

S-AIS

R 42758

1818

6v.

Iose de Moxas y Senra

AUG 055

SEPTEM
PSALMI
POENITENTIALES
Cum Litaniis & Ora-
tionibus.

Soy de Antonio de la Peña





SEPTEM PSALMI

POENITENTIALES

Cum Litanii dicuntur
flexis genibus.

Antiphona. Ne reminiscar-
is. **Psalmus 6.**

 Omine ne in furore
tuo arguas me: ne-
que in ira tua corri-
pias me.

Miserere mei Domine,
quoniam infirmus sum: sa-
na me Domine, quoniam
conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est

valde : sed tu Domine vs-
quequo?

Conuertere Domine , &
eripe animam meam : sal-
uum me fac propter miseri-
cordiam tuam.

Quoniam non est in mor-
te qui memor sit tui: in in-
ferno autem quis confite-
bitur tibi?

Laboraui in gemitu meo,
lauabo per singulas noctes
lectum meum : lacrymis
meis stratū meum rigabo.

Turbatus est à furore ocu-
lus meus : inueteraui inter
omnes

omnes inimicos meos.

Discedite à me omnes qui operamini iniquitatē: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.

Exaudiuit Dominus deprecationem meam : Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant, & conturban-
tur vehementer omnes ini-
mici mei: conuertantur, &
erubescant valde velociter.

Gloria Patri. **P**salmus 31.

BEATI quorum remissæ sunt iniquitates: & quo-

rum tecta sunt peccata.

Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.

Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.

Dixi, confitebor aduersum

me

me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno. **V**eruntamen indluvio aquarum multarū: ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum à tribulatione quę circumdet me: exultatio mea, erue me à circundantibus me.

Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradieris: firmabo super te oculos meos.

Nolite

Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus non est intellectus.

In chamo & freno maxillas eorum constringe: qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, & exultate iusti: & gloriamini omnes recti corde.

Gloria Patri. **Psalmus 37.**

Domine ne in furore tuo arguas me: neque in

in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infi-
xæ sunt mihi: & confirmasti
super me manum tuam.

Non est sanitas in carne
mea à facie iræ tuæ: non est
pax ossibus meis à facie pec-
catorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ
supergressæ sunt caput me-
um: & sicut onus graue gra-
uatae sunt super me.

Putruerunt & corruptæ
sunt cicatrices meæ: à facie
insipientiæ meæ.

Miser factus sum, & curua-
tus

tus sum usque in finem: tota
die cōtristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei im-
pleti sunt illusionibus: &
non est sanitas in carne
mea.

Afflictus sum, & humilia-
tus sum nimis: rugiebam à
gemitu cordis mei.

Domine ante te omne de-
siderium meum: & gemi-
tus meus à te non est abs-
conditus.

Cor meum conturbatum
est, dereliquit me virtus
mea: & lumen oculorum

meo-

meorum, & ipsum non est
mecum.

Amici mei, & proximi mei:
aduersum me appropin-
quauerunt, & steterunt.

Et qui iuxta me erant , de
longè steterunt: & vim fa-
ciebant, qui quærebant ani-
mam meam.

Et qui inquirebant mala
mihi, locuti sunt vanitates:
& dolos tota die medita-
bantur.

Ego autem tanquam sur-
dus non audiebam : & sicut
mutus nō aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo
non audiens: & non habens
in ore suore dargutiones.

Quoniam in te Domine
sperauit: tu exaudies me Do-
mine Deus meus.

Qui adixi, ne quando super-
gaudeant mihi inimici mei:
& dum commouentur pe-
des mei , super me magna
locuti sunt.

Quoniam ego in flagella
paratus sum : & dolor meus
in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem me-
am annunciarbo : & cogita-
bo

bo pro peccato meo .

Inimici autem mei viuunt ,
& confirmati sunt super
me : & multiplicati sunt , qui
oderunt me iniquè .

Qui retribuunt mala pro
bonis , detrahebant mihi :
quoniam sequebar bonita-
tem .

Ne derelinquas me Domi-
ne Deus meus : ne discesse-
ris à me .

Intende in adiutorium me-
um : Domine Deus salutis
meæ .

Gloria Patri , & Filio .

Miserere mei Deus : secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationū tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: vt iustificeris

in

in sermonibus tuis, & vin-
cas cùm iudicaris.

Ecce enim in iniquitatibus
conceptus sum: & in pecca-
tis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dile-
xisti: incerta & occulta sapi-
entię tuę manifestasti mihi.

Asperges me Domine hyf-
sopo, & mundabor: lauabis
me, & super niuem dealba-
bor.

Auditui meo dabis gaudi-
um & lætitiam: & exulta-
bunt ossa humiliata.

Auerte faciem tuam à pec-
catis

catis meis: & omnes iniqui-
tates meas dele.

Cor mundum crea in me
Deus : & spiritum rectum
innoua in visceribus meis.

Ne proiicias me à facie tua:
& Spiritum sanctum tuum
ne auferas à me.

Redde mihi lætitiam salu-
taris tui: & Spiritu principa-
li confirma me.

Docebo iniquos vias tuas:
& impij ad te conuerten-
tur.

Libera me de sanguinibus
Deus, Deus salutis meæ: &
exul-

exultabit lingua mea iustitiam tuam.

Domine labia mea aperies:
& os meum annunciat laudem tuam.

Quoniam si voluisses, sacrificium dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.

Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificantur muri Hierusalem.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, oblationes, & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 101.

Domine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat.

Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacunque die inuocauerō te: velociter exaudi me.

Quia

Quia defecerunt sicut fu-
mus dies mei: & ossa mea si-
cut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fenum, &
aruit cor meum: quia obli-
tus sum comedere panem
meum.

Avoce gemitus mei: adhæ-
sit os meum carni meæ.

Similis factus sum pelicano
solitudinis: factus sum sicut
nycticorax in domicilio.

Vigilaui: & factus sum sicut
passer solitarius in tecto.

Tot a die exprobrabant mi-
hi inimici mei: & qui lauda-

bant me, aduersum me iu-
rabant.

Quia cinerem tanquam
panem manducabam : &
potum meum cum fletu
miscebam.

A facie iræ indignationis
tuæ: quia eleuās allisisti me.
Dies mei sicut vmbra decli-
nauerunt : & ego sicut fe-
num arui.

Tu autem Domine in eter-
num permanes : & memo-
riale tuum in generatione
& generationem.

Tu exsurgens Domine mi-
sere-

sereberis Sion: quia tempus
miserendi eius , quia venit
tempus.

Quoniam placuerunt ser-
uis tuis lapides eius:& terræ
eius miserebuntur.

Et timebunt gentes no-
mentuum Domine:& om-
nes reges terræ gloriam
tuam.

Quia ædificabit Dominus
Sion:& videbitur in gloria
sua.

Respexit in orationem hu-
milium : & non spreuit pre-
ces eorum.

Scribantur hæc in-genera-tione altera: & populus qui creabitur, laudabit Domi-num.

Quia prospexit de excelsa-sancto suo: Dominus de cæ-lo in terram aspexit.

Vt audiret gemitus com-peditorum: vt solueret filios interemptorum.

Vt annuncient in Sion no-men Domini : & laudem eius in Hierusalem.

In conueniendo populos in vnum : & reges vt seruant Domino.

Respon-

Respondit ei in via virtutis
suæ : paucitatem dierum
meorum nuncia mihi.

Ne reuoces me in dimidio
dierum meorum : in gene-
ratione & generationem
anni tui.

In initio tu Domine terram
fundasti: & opera manuum
tuarum sunt cæli.

Ipsi peribunt, tu autem per-
manes: & omnes sicut vesti-
mentum veterascent.

Et sicut oper torium muta-
bis eos, & mutabuntur : tu
autem idem ipse es, & anni
tui

tui non deficient.

Filij seruorum tuorum ha-bitabunt: & semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri, & Filio.

Psalmus 129.

De profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intenden-tes: in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sus-tinebit?

Quia apud te propitiatio est:

est: & propter legem tuam
sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in
verbo eius: sperauit anima
mea in Domino.

Ac custodia matutina usque
ad noctem: speret Israël in
Domino.

Quia apud Dominum mi-
sericordia: & copiosa apud
eum redemptio.

Et ipse redimet Israël: ex
omnibus iniquitatibus eius.

Gloria Patri. **Psalmus 142.**

Domine exaudi oratio-
nem meam, auribus
MM perci-

percipe obsecrationem me-
am: in veritate tua, exaudi
me in tua iustitia.

Et non intres in iudicium
cum seruo tuo: quia non
iustificabitur in conspectu
tuo omnis viuens.

Qui a persecutus est inimi-
cus animam meam: humili-
auit in terra vitam meam.

Collocauit me in obscuris
sicut mortuos fæculi: & an-
xiatus est super me spiritus
meus, in me turbatum est
cor meum.

Memor fui dierum anti-
quorum,

quorum , meditatus sum in omnibus operibus tuis : & in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.

Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendibus in lacum.

Auditam fac mihi manè misericordiam tuam : quia in te speraui.

Notam fac mihi viam in
MM 2 qua

qua ambulem: quia ad te le-
uaui animam meam.

Eripe me de inimicis meis,
Domine, ad te confugi: do-
ce me facere voluntatem
tuam, quia Deus meus es
tu.

Spiritus tuus bonus dedu-
cet me in terram rectam:
propter nomen tuum, Do-
mine, viuificabis me in æ-
quitate tua.

Educes de tribulatione ani-
mam meam: & in miseri-
cordia tua disperdes omnes
inimicos meos.

Et

Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.

Gloria Patri, & Filio: & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio , & nunc, & semper: & in sæcula sæculorum, Amen.

Antiphona. Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum: neque vindictam sumas de peccatis nostris.





LITANIAE.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Christe audi nos.

Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, miserere nobis.

Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix ora.

Sancta

Sancta Virgo virginum
ora pro nobis.

Sancte Michaël ora.

Sancte Gabriel ora.

Sancte Raphaël ora.

Omnes sancti Angeli, &
Archangeli, orate pro
nobis.

Omnes sancti beatorum
Spirituum ordines, orate
pro nobis.

Sancte Ioannes Baptista
ora pro nobis.

Omnes sancti Patriarchæ,
& Prophetæ, orate pro
nobis.

Sancte

S	ancte Petre	ora.
S	ancte Paule	ora.
S	ancte Andrea	ora.
S	ancte Iacobe	ora.
S	ancte Ioannes	ora.
S	ancte Thoma	ora.
S	ancte Iacobe	ora.
S	ancte Philippe	ora.
S	ancte Bartholomæ	ora.
S	ancte Matthæ	ora.
S	ancte Simon	ora.
S	ancte Thaddæ	ora.
S	ancte Matthia	ora.
S	ancte Barnaba	ora.
S	ancte Luca	ora.
S	ancte Marce	ora.

NN

Omnes

Omnes sancti Apostoli, &
Euangelistæ, orate pro
nobis.

Omnes sancti Discipuli Do-
mini, orate pro nobis.

Omnes sancti Innocentes,
orate pro nobis.

Sancte Stephane ora.

Sancte Laurenti ora.

Sancte Vincenti ora.

Sancti Fabiane & Sebastia-
ne, orate pro nobis.

Sancti Ioannes & Paule,
orate pro nobis.

Sancti Cosma & Damiane,
orate pro nobis.

Sancti

Sancti Geruasi & Protasi,
orate pro nobis.

Omnes sancti martyres,
orate pro nobis.

Sancte Siluester ora.

Sancte Gregori ora.

Sancte Ambrosi ora.

Sancte Augustine ora.

Sancte Hieronyme ora.

Sancte Martine ora.

Sancte Nicolae ora.

Omnes sancti Pontifices
& Confessores, orate pro
nobis.

Omnes sancti Doctores,
orate pro nobis.

Sancte Benedicte ora.

Sancte Antoni ora.

Sancte Bernarde ora.

Sancte Dominice ora.

Sancte Francisce ora.

Omnes sancti Sacerdotes,
& Leuitæ, orate pro no-
bis.

Omnes sancti Monachi, &
Eremitæ, orate pro nobis.

Sancta Maria Magdalena
ora pro nobis.

Sancta Agatha ora.

Sancta Lucia ora.

Sancta Agnes ora.

Sancta Cæcilia ora.

Sancta

S ancta Catharina ora.

S ancta Anastasia ora.

O mnes sanctæ virgines, & viduæ, orate pro nobis.

O mnes sancti & sanctæ Dei, intercedite pro nobis.

P ropitius esto, parce nobis Domine.

P ropitius esto, exaudi nos Domine.

A bomni malo, libera nos Domine.

A bomni peccato, libera.

A biratua, libera nos Domine.

A subitanea & improuisa
morte, libera nos Do-
mine.

Ab insidiis diaboli, libera.

Ab ira, & odio, & omni ma-
la voluntate, libera nos
Domine.

A spiritu fornicationis,
libera nos Domine.

A fulgure & tempestate,
libera nos Domine.

Amorte perpetua, libera
nos Domine.

Per mysterium sanctæ in-
carnationis tuæ, libera
nos Domine.

Per

Per aduentum tuum, libera nos Domine.

Per natuitatem tuam,
libera nos Domine.

Per baptismum , & sanctum iejunium tuum,
libera nos Domine.

Per crucem & passionem
tuam, libera nos Domine.

Per mortem & sepulturam
tuam, libera nos Domine.

Per sanctam resurrectio-
nem tuam, libera nos
Domine.

Per admirabilem ascensio-
nem tuam, libera nos.

Per

Per aduentum Spiritus sancti paracliti, libera nos Domine.

In die iudicij, libera nos Domine.

Peccatores, Terogamus, audi nos.

Vt nobis parcas, terogamus, audi nos.

Vt nobis indulgeas, terogamus, audi nos.

Vt adveram pœnitentiam nos perducere digneris, terogamus, audi nos.

Vt Ecclesiam tuam sanctam regere & conserua-

re

re digneris, te rogamus,
audi nos.

Vt domnum Apostolicum,
& omnes Ecclesiasticos
ordines in sancta religio-
ne conseruare digneris,
te rogamus audi nos.

Vt inimicos sanctæ Eccle-
siæ humiliare digneris, te
rogamus, audi nos.

Vt regibus & principibus
Christianis pacem & ve-
ram concordiam donare
digneris, te rogamus, au-
di nos.

Vt cunctopopulo Christia-
no

no pacem & vnitatem
largiri digneris, te roga-
mus, audi nos.

Vt nosmetipsos in tuo san-
cto seruitio confortare &
conseruare digneris, te
rogamus, audi nos.

Vt mentes nostras ad cæle-
stia desideria erigas, te ro-
gamus, audi nos.

Vt omnibus benefactori-
bus nostris sempiterna
bona retribuas, te roga-
mus, audi nos.

Vt animas nostras, fra-
trum, propinquorum, &
bene-

benefactorū nostrorum,
ab æterna damnatione e-
ripias, te rogamus,
audi nos.

Vt fructus terræ dare &
conseruare digneris, te
rogamus, audi nos.

Vt omnibus fidelibus de-
functis requiem æternam
donare digneris, te roga-
mus, audi nos.

Vt nos exaudire digneris,
te rogamus, audi nos.

Fili Dei, te rogamus, audi
nos.

Agnus Dei, qui tollis pec-
cata

cata mundi, parce nobis
Domine.

Agnus Dei, qui tollis pec-
cata mundi, exaudi nos
Domine.

Agnus Dei, qui tollis pec-
cata mundi, miserere no-
bis.

Christe audi nos. **C**hriste
exaudi nos. **K**yrie eleison.

Christe eleison. **K**yrie elei-
son. **P**ater noster. **secretò.**

Vers. Et ne nos inducas in
tentationem.

Resp. Sed libera nos à malo.

Psalmus 69.

Deus in adiutorium meum
intende: Domine
ad adiuuandum me festina.
Confundantur, & reuere-
antur: qui quærunt ani-
mam meam.

Auertantur retrorsum, &
erubescant: qui volunt mi-
hi mala.

Auertantur statim erube-
scentes: qui dicunt mihi, eu-
ge, euge.

Exultent & lætentur in te
omnes qui quærunt te: &
dicant semper, magnifice-

tur Dominus, qui diligunt
salutare tuum.

Ego verò egenus & pauper
sum: Deus adiuua me.

Adiutor meus, & liberator
meus es tu: Dominene mo-
reris.

Gloria Patri, & Filio: & Spi-
ritui sancto.

Sicut erat in principio, &
nunc, & semper: & in sæcula
sæculorum, Amen.

Vers. Saluos fac seruos tuos.

Respons. Deus meus, spe-
rantes in te.

Vers. Esto nobis Domine
turris

turris fortitudinis.

Resp. A facie inimici.

Vers. Nihil proficiat inimicus in nobis.

Resp. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

Vers. Domine non secundum peccata nostra facias nobis. **Respons.** Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

Vers. Oremus pro Pontifice nostro **N.** **Respons.** Dominus conseruet eum, & viuifiet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat

tradat eum in animam ini-
micorum eius. **Vers.** Oremus pro benefactoribus
nostris. **Respons.** Retribuere dignare Domine
omnibus nobis bona faci-
entibus propter nomen tu-
um vitam æternam.

Vers. Oremus pro fideli-
bus defunctis. **Respons.**
Requiem æternam dona
eis Domine, & lux per-
petua luceat eis. **Vers.**
Requiescant in pace.
Respons. Amen. **Vers.**
Pro fratribus nostris absen-
tibus.

tibus. **Respons.** Saluos fac seruos tuos, Deus meus, spe-
rantes in te.

Vers. Mitte eis Domine auxilium de sancto.

Resp. Et de Sion tuere eos.

Vers. Domine exaudi ora-
tionem meam. **Respons.** Et
clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Deus, cui proprium est
misereri semper, & par-
cere: suscipe deprecatio-
nem nostram: ut nos, &
omnes famulos tuos, quos
delictorum catena con-
PP stringit,

stringit, miseratio tuæ pie-
tatis clementer absoluat.

Exaudi, quæsumus Do-
mine, supplicum preces,
& confitentium tibi parce
peccatis: ut pariter nobis in-
dulgentiam tribuas beni-
gnus, & pacem.

Ineffabilem nobis, Do-
mine, misericordiam tu-
am clementer ostende: ut
simul nos & à peccatis om-
nibus exuas, & à pœnis, quas
pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offendere
ris, pœnitentia placa-

ris:

ris : preces populi tui suppli-
cantis propitius respice : &
flagella tuæ iracundiæ, quæ
pro peccatis nostris mere-
mur, auerte.

OMnipotens sempiter-
ne Deus , miserere fa-
mulo tuo Pontifici nostro
N. & dirige eum secun-
dùm tuam clementiam in
viam salutis æternæ : vt te
donante tibi placita cupiat,
& tota virtute perficiat.

DEus, à quo sancta desi-
deria, recta consilia, &
iusta sunt opera : da seruis

tuis illam , quam mundus
dare non potest, pacem : vt
& corda nostra mandatis
tuis dedita , & hostium sub-
lata formidine , tempora
sint tua protectione tran-
quilla.

VReigne sancti Spiritus
renes nostros , & cor
nostrum , Domine: vt tibi
casto corpore seruiamus , &
mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium
conditor , & redemptor ,
animabus famulorum , fa-
mularumque tuarum , re-
mis-

missionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: ut cuncta nostra oratio & operatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur.

O Mnipotens sempiter-
ne Deus, qui viuorum
dominaris simul & mor-
tuorum, omniumque mise-

reris, quos tuos fide & ope-
re futuros esse prænoscis , te
supplices exoramus : vt pro
quibus effundere preces de-
creuimus, quósque vel præ-
sens sæculum adhuc in car-
ne retinet, vel futurum iam
exutos corpore suscepit, in-
tercedéтиbus omnibus san-
ctis tuis , pietatis tuæ cle-
mentia , omnium delicto-
rum suorum veniam con-
sequantur . Per Dominum
nostrum Iesum Christum
Filium tuum: qui tecum vi-
uit & regnat in unitate Spi-
ritus

ritus sancti Deus: per omnia
sæcula sæculorum. **Respons.**
Amen.

Vers. Domine exaudi ora-
tionem meam.

Resp. Et clamor meus ad
te veniat. **Vers.** Exaudiat
nos omnipotens & miseri-
cors Dominus. **Respons.**
Amen.

Vers. Et fidelium animæ per
misericordiam Dei requie-
scant in pace. **Resp.** Amen.



PRE-



6.000
(85)

MUSEO NACIONAL
DEL PRADO

[Officium
defunctorum ;
Cerv/1206



1116867





